136 250

Perilluſtris Domine Cancellarie et Senior,
Collegæ reliqui excellentiſſimi coniunctiſſimi.

Adſunt ſimul tres candidati, quorum eo, quo nomina ſua profeſſi ſunt ordine, mentionem faciam.

1. Schleisnerus Auguſtanus quomodo ſexennium academicum Jenæ et Halæ transegerit inter alia documenta teſtatus eſt examine antiLeemiano.

2. Zacharia Megapolitanus non minori ſucceſſu quinquennium Regiomonti et apud nos collocauit, quod in examine inſtituendo patebit.

Vterque patrios repetiturus lares a diſputandi et redimendi neceſſitate liberari cupit. Ego quidem, quantum in me eſt omnem lapidem movere ſoleo vt potius diſputent quam redimant candidati. Interim ſi candidati, alias non indigni, neutrum ſibi perſuaderi patiuntur, promotionem potius intermiſſuri, illis, quod ſæpius iam factum eſt, immunitatem quam expetunt, concedendam puto.

3. Kleinius, Nauenſis Marchicus, quinque fere annos apud nos ſtudiis theologicis et philoſophicis vtiliter impendit. Per triennium et vltra domeſticus meus fuit, in collegiis, experimentis, operationibus geometriæ practicæ, matheſeos applicatæ, phyſices et metallurgiæ eam mihi præſtitit operam ſibi ſucceſſu vt meliori iure amanuenſis dici queat, quam is qui in deſcribendo occupatus eſt. Ita iunxit theoriæ et praxeos ſtudium vt ſumme reuerendi Heckero de collega ſchola Realis ſollicito qui præter alia et ea doceret quæ ad Hiſtoriam naturalem et operas manuarias pertinent (die Manufactur Claſſe) hunc de meliori commendare potuerim. Diſputaturus eſt me præſide, ſi abitus ad officium et ſumtus a patrono ſuppeditandi id permiſerint.

Singuli viginti thaleros solvent pro examine

Collegas honoratissimos rogo, velint die VIII. h. III. pomeridiana in aedibus meis frequentes adesse.
In regia Fridericiana die VI. Januarii MDCCLII.

J J Lange Decan.

Spectatissime Dne Decane.
In dispensationem disputationum ~~tanto~~ libentius consentio, quia istiusmodi disputationes in Academia Lipsiensi, Jenensi et aliis in Facultate philosophica usu receptae non sunt, ~~et~~ apud nos mos hic introductus fuisset, nisi Cellarius in Academia Giessensi studiis academicis incubuisset, cujus consilium in condendis statutis Facultatis philosophicae adhibitum fuit. Wolff.

Meinestheils wünschete, daß die beyden ersten Hhl. Candidati auch die Disputationem inauguralem nach der Vorschrifft unserer Statutorum Fac. Philos. und nach dem erneuerten königl. Reglement nicht zu unterlassen: indessen, da deroselben Fleiß und Geschicke mir bekannt ist, consentire in eorum petitum. Jedoch möchte wol nöthig seyn, auf künfftige mitzubringen, damit nicht die disputationes philosophicae und besonders inaugurales gar verfallen.

Michaelis.

Quod in simili casu semper in votis monitisque habui, idem praesenti occasione repeto, significans ne dispensata redemtio in malum ac damnosum abusum, exemplum et consuetudinem abeat.
Alberti.

Sub modo adducta conditione petitis praesentium Dnn. Candidatorum pariter adnuo.
Büchner.

Applaudo votis Candidatorum Widebur

Accedo in sententiam Spectatiss. Dni Decani, dummodo de futuro satis prospiciatur. Stiebritz